



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraenesis De Eleemosyna

Alardus <Aemstelredamus>

[Köln], 1545

VD16 A 1250

Vel ultro nos non aduentibus succurendum egenis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63012)

DE ELEEMOSYNA.

uelociter, non intelligentes cæteri quid dixisset, arbitrati sunt eum dixisse, ut aliquid præpararet, quod daretur pauperibus. Ille enim loculos habebat, hoc in euangelio scriptum est. Possent de hoc suspicari, nisi hoc haberet in consuetudine dominus. De his ergo quæ dabantur, & in loculos mittebantur, dabatur tamen & illis pauperibus, quos deus docuit non contemnendos. Sed si illum non contemnis, quanto magis bonum per quem trituratur hæc area. Quanto magis seruum tuum? Non indiget cilicio, forte ueste indiget. Non indiget ueste, forte tecto indiget; forte ecclesiam fabricat, forte aliquid utile in domo dei molitur, expectat ut attendas, expectat ut intelligas super egentem & pauperem. Tu contra terra dura, lapidea, non irrigata, aut frustra irrigata, seruas tibi dicere: Non sciebam, non noueram, nemo mihi dixit. Nemo tibi dixit? Christus non cessat dicere, Prophete non cessant dicere. Beatus qui intelligit super egentem & pauperem.

*Vel ultro nos non aduentibus succurrendum
egenis.*

CHrysostronus sermone 21. in cap. 12 epistolæ ad Romanos Hospitalitatem sectantes. Non dicit facientes, sed sectantes, instruens nos, ut non expectemus egenos, donec ad nos ueniât, sed ad ipsos curramus & sectemur. Sic Loth fecit, sic Abraham, totum nanque diem in hoc consumebat, bonam expectans uenationem, & si quando quempiam uidebat, insiliebat, occurrebat, ad terram supplicando procedebat, dicens:

DE ELEEMOSYNA.

Si gratiam inueni in conspectu tuo, ne transeas seruum tuum. Non quemadmodum nos qui cum peregrinum & pauperem uiderimus, supercilia attollimus, neque dignos existimamus, quos alloquamur. Et si quando innumeris supplicationibus uix tandem molliti, modicum argenti per famulos dari iusserimus, uniuersum quod ad beneficentiam attineat probe nos praestitisse putamus. Abraham uero non ita, sed sumptam famuli personam induit, tamen si ignoraret quosnam suscepturus esset. Nos autem licet manifeste sciamus, quod in pauperibus Christum suscipiamus, neque sic tamen mansueti reddimur, sed cum ille contrario, & obsecret & supplicet, & procidat, nos nihilominus accedentes conuitijs obruimus. Et Abraham quidem omnia per seipsum & uxorem implebat obsequia, nos uero neque per famulos. Si uero & mensam cognoscere uoles, quam ille peregrinis parabat, multam & illic liberalitatem uidebis, non quam exhibebat ipsa cibarium copia, sed potius abundans animi promptitudo.

Ad omnes quidem faciendam esse eleemosynam, maxime autem circa domesticos fidei, pauperesque sanctos.

Hieronimus in Esaiam, capite 5. & 8. Et carnem (ait) tuam ne despexeris. Omnis enim homo caro nostra est. Et iuxta euangelicam parabolam, eius qui de Hierusalem descendebat Hiericho: & a latronibus uulneratus est: ille proximus appellatur, qui benefecerit. Vel certe iuxta lxx. qui dixerunt. Et domesticos feminis tui ne despicias. Domesticos feminis illos intelligamus, de quibus